

lit omnem gratiam in præteritis, sed eam tantum, quæ electis est peculiaris. Ea vero, quæ per communis providentiæ administrationem sub lege naturæ, vel in vocatione externâ, hominibus vario demenso communicatur & dispensatur, per hunc præteritionis actum non adimitur, sed præsupponitur; quia non-electi, sub illâ communi divinæ providentiæ gubernatione relinquuntur. Itaque à singulari providentiâ & vocatione externâ non licet argumentari ad electionem. Confer cum reg. 1.

XI. *A dilectione Dei consequente ad dilectionem antecedentem non valet argumentatio.* Dilectio antecedens est, quâ Deus nos ita dilexit, ut daret nobis Filium Ioh. 3. 16. consequens, quâ nos fide præditos diligit Heb. 11. 6. Atque hi quoque sunt duo actus decreti electionis: è quibus primus pendet à solo Dei beneplacito, secundus à causis aliis, ut à Christo, fide, bonis operibus. Quò pertinet illud: Deus nos dilexit ab æterno, ut essemus sancti & inculpati; idem nos diligit fide præditos, quòd simus sancti. Aliter itaque hîc sumuntur duo actus decreti electionis, quàm reg. 8.

XII. *A causâ sine quâ non ad causam meritariam non valet consequentia.* Sic tamen si peccatum sit conditio in reprobandis præ-